

Prop. 6.

*Ad terram majori vi, quam ab illâ, fit motus.*

Quia directus est ad terram motus, à terra non nisi reflexus; per illum descendentes partes à pluribus juvantur, ascendentes à pluribus impediuntur (per hypoth. I. & 3.) Ergo, (per axiom. I. 2. 3.)

Prop. 7.

*Gravius aëre corpus, in illum vi pulsum, necessariò ab eodem, cessante illâ vi, repelitur.*

E. g. Lapis è manu mea projectus, vi hujus ascendit (per experientiam) quia tamen à pluribus versus terram ruentibus impeditur quam juvatur à recedentibus (per propos. 4. & 5.) cessabit tandem impetus sursum (per axiom. I.) prævalebitque impetus deorsum (per propos. 6.)

Prop. 8.

*Grave quo altius dimittitur, eo velocius semper atque velocius movetur, hoc est, datur incrementum velocitatis.*

Ratio est, quia motus motui additur semper, Ergo (per axiom. I.) motus inde emergit major, adeoque velocior.

Prop. 9.

*Velocitatis hoc incrementum per certa tempora ratione partium lineaè est, ut quadrata temporum.*

Hæc propositio pluribus confirmata est à Galilæo, Baliano